Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2699
Quelle:
Copyright:

Hic ut ego credo ſocium camere tibi me do
Et ſum rimatus quid ibidem ſis operatus. —
Hec ut perfecta ſunt omnia ſana ſenecta
Te iubet ire domum &c.

Atque hic abrupit Librarius, Poeta certe ulterius progreſſo, et quaedam fortaſſis adferente, quae in penitiorem Herois ſui notitiam introducere poterant.

Fol. 132. p. 2. *Poſicio Articulorum Johannis Rozkydale* (Rokiczanae) *oblati Reuerendo patri domino domino philberto Epiſcopo Conſtan. legato ſacri concilij Baſilien. in Bohemiam deſtinato.* Et ad calcem: *Anno Natiuitatis Domini 1436. preſcripti articuli ſunt oblati prefato domino Epiſcopo — pro tunc in Collegio karoli percunctanti cum ſuis Collegis.* Accuſationis potius capita ſunt numero viginti, quorum I. *Quia promouet libros et articulos Joh. Wicleff et propter hoc Magiſtri certi fuerunt excluſi de praga eo quod ſibi conſentire noluerunt.* II. *Quia fautor eſt ſectarum Thaboritarum et Syrotkonum.* (i. e. Orphanorum a Boh. *Syrotek.*) Graviora deinceps levioribus mixta, et ad quaedam adjecta ſunt alia manu Reſponſa. Ita ad XIV. *Quia non orat horas Canonicas*, adſcriptum: *Ribalde fallis ſicut azinus.* Ad XVII. *Item nowam Cerimoniam introducit puta dedicationem omnium eccleſiarum ad vnum diem*, additum: *Quare opus bonum fecit quia fuerunt differentiae in populo ſcilicet ebrietas homicidia et alia quam plurima et fecit cum conſenſu Archiepiſcopi Conradi.* Ceterum de hac Accuſatione nullibi me legere memini.

Fol. 133. *Secuntur Articuli Joh. vicleff dudum condempnati londonijs. Anno d. Milleſimo 380.* (l. 82.) *a Tredecim* (l. 7.) *Epiſcopis et Archiepiſcopo Cantuarienſi* (Guil. Curtiniaco) *et a 30. magiſtris in Theologia.* Articulus 1. *Subſtantia materialis panis et vini manet in ſacramento altaris poſt conſecrationem.* &c. Iam et *Cod.* alio indicati.

Fol. 134. *Articuli valdenſium 32.* Primus: *Sacerdotes non debent intermittere labores manuum ſuarum, ſed ſicut Apoſtoli fecerunt.* &c. Congruunt iis, quos Opuſculis ſuis contra eos *Petr. Pillichdorfius Bibl. PP. Lugd.* T. XXV. p. 307. *Ebrardus Bethun. Bernardus Fontis Calidi* et *Ermengardus* T. XXIV. p. 1520. inſeruere, quosque in R. P. *Richardi Diction. des Sciences Eccl.* legas T. V. p. 488. Adtexta eſt *Confeſſio heretica et falſa que concordat cum valdenſibus.* Accuſat ſe videlicet Quidam de iis, quae contra praecedentes *Articulos* deliquit. Ita: *Primo Confiteor quia confeſſus fui credens quod ſacerdos poſſet me abſolvere a peccatis* &c.

Fol. 135. p. 2. *Sermo Magiſtri Styekne ad populum factus apud Carmelitas contra wicleff Contra remanenciam panis.* Collecta potius